passe m/10 [=10 000] L chacune, il a falu donque s'attacher a des gens, qui fussent en Estat de faire une grande avance, tant pour les retablir, que pour les degager, ce qu'aucun officier du Regiment n'estoit ny en Estat, ny dans le dessein de faire".

1) jetter les jeux =les yeux? *2)* s. Bieler/Oberst Suter 6

3) s. AH 42/35 *4)* et qui fut arrivé chez luy

Briefauszug - AH 64, 243-244 - Blatt 244^{v} leer

86

1659 Januar 1.

"PROGNOSTICON SEXCENTIS OPTATAE VOTIS PACIS [=PYRENAEENFRIEDEN] INTER ... MONARCHOS LUDOVICUM XIIII. GALLIARUM NOVARRAEORUM CHRISTIANISSIMUM [ET] PHILIPPUM IV. HISPANIARUM, JNDIARUM CATHOLICUM"

Prognosticon
Sexcentis optatae Votis Pacis: inter
Augustissimos Orbis Monarchas,
Ludovicum XIIII. Galliarum Navarraeorum
Christianissimum,
Philippum IV Hispaniarum; Indiarum
Catholicum
Colloquentibus
Summo Vrbis et Orbis Apolline
Celto-Gallo, Celtibere Druydibus
Christiano Orbi pro Xenio.

auinebat Primarius; Celto-Druys
Calendis Januarij
MDCLIX

Celto-Gallus.
Quo Druydum te Magne pedes? quid pectore volvis,
Singultu vocem praepediente tuam?
Celtiber
Heu loquar? an sileam? turbant praesaga loquelam,
Horrida bellorum fata futura meam.
Celto-Gallus.
Ergone Mars iterum totum impius occupet annum?
Sacra, prophana ruat? Dij meliora velint!
Celtiber
Hau! timeo: at Phoebum consulturus pergo Quirinum,
Votaque solvendo, thura cremabo Jovi.
Celto-Gallus.
Quam bene! quo properas, repedo: nova fausta sed audi!
Pax, Pax, est Votis Pax, scio, grata tuis.
Nuper ut ex Voto, ceu tu, peregrinor in Urbem,
Prima fuit Limos cura subire sacros.
Lux nova sors [illegible] Jani festiva Calendis,
Urbs qua Christo sueta litare Patri.
Jam Plebs sacratis decesserat aedibus omnis,
Cum Divum supplex in mea vota voco.

Nec mora: Divus adest, superi! qua luce refulgens:
Gemma, aurum texit membra, Thiara caput.

64/86

Cætera visus erat fore Janus, Apollo vel Atlas,
Corpora purpureis septus utrinque Choris:
Prostratum tanta pro Maiestate, sereno
Semianimem vultu iussit avere prior.
Huc ades, infit, [illegible] promito Vota, quid angit?
Ridebit [illegible] lux hodierna tuis.
Quisquis es, Ô Divum Rex Maxime et optime, parce!
Pauca canam, at magnis pondus et instar habent:
Unde sed incipiam? Patriaeque Patremque Patratu
Orbis ut optata pace fruatur, agam?
Quae mea Vota rogas? Sunt totius Orbis, ab Urbis
Auxiliatrices poscit Atlante manus:
Ecque hic Urbis Atlas! Fabius-Chisi, Maximus olim,
Ast modo Alexander summus in Orbe Pater.
Militat ~~est~~ illi æther, Tellus veneretur et æquor,
Par cui nil æther, terra, nec æquor habet:
Ter felix equidem tanto sub Principe Mundus,
Omnia dissidijs ni popularet Eris.
Quo-me-cumque fero, Bellona inflante, tubarum
Auditur clangor, torquet Enyo faces.
Prô Hominum Divumque fidem! quis Origo? quis author!
Tanti quisve mali, vah! Mediator erit?
Ô Reges! tantumne animis certatis amaris?
Totus ut in flammas perditus orbis eat?
Auditisne minas, ~~Divique~~ Oracula Vatis? Jere. 46. 12.
In fortem ~~impegit fortis~~, et, ambo cadent.
Vos ego, quos sanguis, eo sanguine miscuit uno,
Alloquor, ah! proprijs parite Visceribus!
Te testor Lodoice, Bonus-qui diceris-ORBI,

Borbonius – anagr. Orbi bonus.

Teq; Philippe: Nepos est tua nonne Caro.

Eheu! sanguineis res deploranda vel undis,
Sanguine commistis Sanguis mundat aquis:
Nulla salus bello: tandem ah! componite pacem!
Sed canimus surdis, irrita vota, Diis.
Parce! ô Diue! nimis temeraria verba profanti;
Extorquent Patriæ fata suprema meæ.

Apollo Quirinus.

Parce metu, dilecte Druys, tua fata, querelæ,
Dudum idem torsit Viscera nostra dolor:

Per Mare, per terras, per et æthra volavimus Ipsi
Hermes dum fuimus, Pax ut in orbe foret:
At postquam Nobis impositus et Axis et Orbis,
Curarum Moles quanta ferenda fuit!
Sanguine Concordes, discordes pectore Reges
Denuò ut unirem, cura suprema fuit:
Purpurei Hi Proceres Magni Mecum Orbis Atlantes,
Testes, Mercurij namq; fuere mei:

Tandem Vota valent, tot mille cupitaq; Votis,
Placatis superis, pax rediviva redit.
Macte animis! Euax! dic Io! triumphe! redibunt
Aurea Saturni sæcla, serena quies:
Nam positis armis, summi Orbis utriq; Monarchæ
Fient Vnanimes, Hic Gener, Ille Socer.

Celto-Gallus.

Ô felix! faustumq; Omen! date thura Tonanti!
Plaudite terrigenæ, Cœligenæq; simul!

Sed quâ, tutus, adhuc, patrios remeabo Penates,
Hispano, Gallo Marte furente, via?
Apollo Quirinus.

I! tute, emissis votis, inopina sub annis
Pax, refouent Dextras Gallus, Iberus, erit.

Celto-Gallus

Hæc ait, et Superas sublimis iturus in auras,
Addidit, hoc ~~sy~~ dictis Syngrapha testis erit:
Ecce metrum testemque, marum, Prognosticon anni
Ecce Chronon lege sis NOMEN et OMEN habes.

ALeXanDer SeptIMVs AstrIgenIs faVentIbVs,
VnIVersaLIs PontIfeX OrbIs.
Anagramma Chronolog. 1659

I! tVte, eMIssIs VotIs, InopIna sVb annIs
Pax, refoVent DeXtras GaLLVs, IberVs, erIt.
Celt-Iber.

O felix! faustumque Omen! tecum accino. felix
Foedus, quo, felix, quâ patet, Orbis erit.